Somos conscientes de que los intereses económicos individuales, cerrados y conflictivos –pero poderosos–[10] nos impiden diseñar un sistema alimentario que responda a los valores del Bien Común,a la solidaridad y a la "cultura

[6] Asamblea General de la Organización de las Naciones Unidas, 1948, *La Declaración Universal de Derechos Humanos*.

[7] Asamblea General de la Organización de las Naciones Unidas, 2015, *Transformar nuestro mundo: la Agenda 2030 para el Desarrollo Sostenible*.

[8] *Mensaje para la Jornada Mundial de la Alimentación 2019*.

[9] *Mensaje para la Jornada Mundial de la Alimentación 2019*.

[10] Cf. *Fratelli Tutti - Sobre la Fraternidad y la Amistad Social*, 12, 16, 29, 45, 52.

del encuentro". Si queremos mantener un multilateralismo fructífero[11] y un sistema alimentario basado en la responsabilidad, la justicia, la paz y la unidad de la familia humana es primordial.[12]

La crisis a la que actualmente nos enfrentamos es en realidad una oportunidad única para entablar diálogos auténticos, audaces y valientes,[13] abordando las raíces de nuestro sistema alimentario injusto.

A lo largo de esta reunión, tenemos la responsabilidad de realizar el sueño de un mundo en donde el pan, el agua, las medicinas y el trabajo fluyan en abundancia y lleguen primero a los más menesterosos. La Santa Sede y la Iglesia católica se pondrán al servicio de este noble fin, ofreciendo su contribución, uniendo fuerzas y voluntades, acciones y sabias decisiones.

Pido a Dios que nadie quede atrás, que toda persona pueda hacer frente a sus necesidades básicas. Que este encuentro para la regeneración de sistemas alimentarios nos ponga en camino para construir una sociedad pacífica y próspera, y sembrar semillas de paz que nos permitan caminar en autentica fraternidad.[14]

Vaticano, 26 de julio de 2021

FRANCISCO

[11] Cf. *Fratelli Tutti - Sobre la Fraternidad y la Amistad Social*, 174.

[12] *Video Mensaje con ocasión de la 75 Asamblea General de las Naciones Unidas* (25 de septiembre de 2020).

[13] Cf. *Fratelli Tutti - Sobre la Fraternidad y la Amistad Social*, 201-203.

[14] Cf. *Fratelli Tutti - Sobre la Fraternidad y la Amistad Social*, 2.

ACTA CONGREGATIONUM

CONGREGATIO DE CAUSIS SANCTORUM

CATACENSIS - SQUILLACENSIS

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Francisci Caruso, Sacerdotis dioecesani (1879-1951)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Dabo vobis pastores iuxta cor meum, et pascent vos scientia et doctrina » (*Ier* 3, 15).

Istis Profetae verbis Deus se numquam populum suum pastoribus carentem relicturum promisit, qui ipsum colligerent atque ducerent. Talis fuit Servi Dei Francisci Caruso missio. Sacerdotio suo ineunte, scripsit: "Deus animaeque tantum" ac, huic proposito fidelis, Deum proximumque infinite dilexit.

Servus Dei die 7 mensis Decembris anno 1879 Gasparinae, antiquae originis pagi intra archidioecesis Catacensis-Squillacensis fines, natus est. Apud baptismalem fontem nomina Francisci Antonii Nicolai suscepit. Permagna erat eius familia. Iam a pueritia sacerdotii desiderium percepit, at ob familiae angustias seminarium ingredi non potuit. Opus rusticum fecit atque uti voluntarium militem se conscripsit. Viginti annos natus, in Seminarium Catacense recipi fausto cum exitu postulavit. Studia formationemque penitus navavit, itaque die 18 mensis Aprilis anno 1908 Petrus Di Maria, Episcopus Catacensis, presbyterum ordinavit eum. Sequenti anno Asiliae Superioris parochus nominatus est, ubi illius rusticae regionis evangelizationis opere eminuit. Dein, zelo ac studio Seminarii Catacensis rectoris munere fungens, multum adlaboravit, cuius novus Episcopus spiritualem moderatorem anno 1919 eum renuntiavit. Hoc potissimum vitae eius officium fuit, propter quod quaedam presbyterorum multitudo suae vocationis soliditatem suique mi-

nisterii fecunditatem ei adiudicavit. Aliquot annos paroeciae Stellae, quae a Seminario haud longe abest, parochus quoque fuit. Papae Pii XI bulla, Cathedralis Canonicus Paenitentiarius factus est atque, Seminario Regionali instituto, spiritualis alumnorum moderationis opus et ibi perrexit. Ad laicorum formationem etiam se tradidit, in paroeciis praedicans spiritualesque recessus dictans. Et Tertium Ordinem Sancti Dominici Catacii Gasparinaeque fundavit, ex quo plurimae religiosae vocationes ortae sunt. Caritatis opera provexit, praesertim pro minoribus derelictis bellique victimis, pro quibus hospitium instituit.

Quinque per annos a Sororibus Boni Pastoris domi receptatus est, quarum et spiritualis moderator fuit.

Servus Dei, animas ad Deum ducens, se infatigabilem ostendit. Fide ac spe in Dominum oculos continenter fixit et oratio, eucharistica pietas Virginique Mariae devotio ad mysterium Dei animae visu usque aspectandum adiuverunt eum. Missae celebratio diei eius principatum habebat. Confessionarium altaris vicem obtinuit, supra quod se ipsum Deo offerebat propter illorum dilectionem qui ipsius moderamini se committebant. Parco vivendi modo utebatur, paenitentia disciplinaque roborato. Abditus humilisque esse cupiebat, temperantiam oboedientiamque colebat.

Gasparinae, quo valetudinis causa redivit, duos postremos vitae annos degit. Die 18 mensis Octobris anno 1951 obiit atque exuviae eius in paroeciali ecclesia iaciunt. Tam in vita quam post mortem, pietas, integritas, prudentia benevolentiaque eius usque increbescentem quandam sanctitatis famam designaverunt.

Hac fama Servi Dei Causa Beatificationis et Canonizationis instructa est. Iuxta Curiam ecclesiasticam Catacensem-Squillacensem die 13 mensis Septembris anno 1998 Inquisitio dioecesana incepta, deinde die 12 mensis Octobris anno 2012 peracta est, cuius decretum de validitate iuridica haec Congregatio de Causis Sanctorum die 15 mensis Novembris anno 2013 emisit. Positione confecta, consuetam secundum normam an Servus Dei virtutes christianas heroico in gradu exercuisset disceptatum est. Peculiaris Consultorum Theologorum Congressus die 1 mensis Octobris anno 2019 votum adfirmativum expressit. Patres Cardinales et Episcopi die 25 mensis Aprilis anno 2020 Servum Dei theologales, cardinales iisque adnexas virtutes heroico modo excoluisse professi sunt.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine et Temperantia iisque adnexis in gradu heroico Servi Dei Francisci Caruso, Sacerdotis dioecesani, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 5 mensis Maii a.D. 2020.

Angelus Card. Becciu
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

BARENSIS - BITUNTINA

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Carmeli de Palma, Sacerdotis dioecesani (1876-1961)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Iuravit Dominus et non paenitebit eum: Tu es sacerdos in aeternum» (*Ps* 110, 4).

Barensis-Bituntina Ecclesia, Sancti Nicolai reliquiarum servatrix, vivam Christi Aeterni Sacerdotis Bonique Pastoris imaginem intueri potuit pastorale Servi Dei Carmeli De Palma ministerium sacerdotalemque zelum, qui suis spiritus eruditionisque divitiis, alta communione cum Deo fidelitateque in ministerio peragendo signum indelebile, virtutibus illustre, reliquit in ea.

Servus Dei Barii die 27 mensis Ianuarii anno 1876 ortum duxit atque duobus post diebus baptizatus est. Inopia fiduciaque in Providentiam institutionem, quam in familia recepit, signaverunt. Puer admodum, patre orbatus est, deinde matre. Decem annos natus Seminarium Barii apud Basilicam Sancti Nicolai ingressus est, ubi dotibus intellectus et sapientia eminuit. Neapoli theologiae necnon litterarum doctor graduatus est, atque die 17 mensis Decembris anno 1898 presbyterali Ordine est auctus. Sequenti die primam Missam celebravit in Pompeiana Basilica Beatae Mariae Virginis a Sanctissimo Rosario, ei vitam ministeriumque suum comittens. Monasterium Basilianum Cryptoferratense frequentavit, ubi librum de Graeco quodam hymno sancto Nicolao dicato scripsit, quem postea etiam edidit. Vocationem ad Monasterium Benedictinum tum etiam expendit et beato Alfredo Ildefonso Schuster in amicitiam venit, qui, certior eum monasterium haud ingressurum factus, scripsit ei: "Attamen sanctus fies".

Basilicae Sancti Nicolai Canonicus Barii factus est, ubi cappellani, caerimoniarum magistri, cancellarii, cryptae custodis, cantoris, primicerii, Magni Prioris secretarii dein delegati capitularisque vicarii munere functus est. Secretaria Status inter Commissionis pro Ecclesiis Palatinis Apuliae membros nominavit eum. Cura Basilicae Sancti Nicolai a patribus Ordinis Praedicatorum sumpta, in Archidioecesi Barensi Actionis Catholicae consiliator atque monialium Sanctae Scholasticae Barii spiritualis moderator fuit. Oblatorum

Sancti Benedicti formationem navavit et vocationes ad monasterium fovit. Unionem Apostolicam Cleri animavit.

In multitudine officiorum et munerum, quae perfecit, Servus Dei cultum fidei in Deum numquam neglexit. Haec fides atque spes gesta verbaque sua ampla reddiderunt, quae animarum zelo, continentia summaque prudentia imbuebantur. Missam celebrare diligebat Patrumque Ecclesiae scripta meditari. Maxima autem huius temporis diei pars ad peccatores recipiendos ac cum Deo reconciliandos tradebatur. Plurimorum sacerdotum, seminarii alumnorum, religiosarum atque christifidelium laicorum confessarius spiritualisque moderator fuit, inter quos beata Elia a sancto Clemente et alii Servi Dei annumerantur. Nemo ab eo descessit lumine animoque in fidei itinere carens. Confessionarii ministerium animi humani eum peritum fecit atque mansuetudinem, perseverantiam, paternitatis sensum eius finxit. Caritatem in Deum ita benevolus erga proximum ostendit. Honores semper recusavit ac sobrium convenientemque vivendi modum praelegit.

Usque ad finem ministerium perfecit, infirmitatis mensibus et in cubiculo suo Missam celebrans penitentesque recipiens. Animam suam Deo reddidit die 24 mensis Augusti anno 1961, clara sanctitatis fama circumdatus.

Hac ipsa increbrescente fama, Servi Dei Causa Beatificationis et Canonizationis est incepta. Iuxta Curiam ecclesiasticam Barensem-Bituntinam Inquisitio dioecesana a die 15 mensis Iunii anno 2001 ad diem 24 mensis Maii anno 2002 celebrata est, cui Inquisitio suppletiva a die 16 mensis Maii anno 2016 ad diem 7 mensis Februarii anno 2017 est addita. Deinde haec Congregatio de Causis Sanctorum de iuridica validitate decretum edidit.

Positione exarata, an Servus Dei virtutes christianas heroico in gradu exercuisset disceptatum est. Die 17 mensis Decembris anno 2019 Peculiaris Consultorum Theologorum Congressus, fausto cum exitu, habitus est. Patres Cardinales et Episcopi die 25 mensis Aprilis anno 2020 Servum Dei theologales, cardinales iisque adnexas virtutes heroicum in modum excoluisse professi sunt.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Forti-*

tudine et Temperantia iisque adnexis in gradu heroico Servi Dei Carmeli De Palma, Sacerdotis dioecesani, in casu et ad effectum de quo agitur.

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 5 mensis Maii a.D. 2020.

ANGELUS CARD. BECCIU
Praefectus

L. ✠ S.

✠ MARCELLUS BARTOLUCCI
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

GRANATENSIS

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Francisci Barrecheguren Montagut, Sacerdotis Professi Congregationis Sanctissimi Redemptoris (1881-1957)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Beatus vir, qui timet Dominum, in mandatis eius cupit nimis. Ab auditione mala non timebit. Paratum cor eius, sperans in Domino» (*Ps* 112, 1.7).

Servi Dei Francisci Barrecheguren Montagut vita quomodo fides in Deum christianarumque virtutum exercitium aequam aestimationem in omnia quae eveniant conferre atque spe quibuscumque tenebris lumen afferre valeant ostendit. Maritus et pater familias, postea religiosus atque presbyter, vim perseverantiamque ex voluntate Dei assidue quaesitas traxit.

Servus Dei Ilerdae die 21 mensis Augusti anno 1881 ortus est. In cathedrali ecclesia Baptisma suscepit ac, undecim post menses, patre orbatus est. Quattuor exactis annis, et mater eius obiit. Granatam migravit, ubi patrui eius eruditionem christianamque institutionem curaverunt. Universitatis studia ad opus in patrui textrino faciendum intermisit, cuius etiam administator factus est. Die 2 mensis Octobris anno 1904 Conceptam García Calvo in matrimonium duxit, ex qua insequenti anno unigenam filiam habuit Servam Dei Mariam a Conceptione, quae familiariter "Conchita" nuncupabatur. Ad educationem filiae suae impendia viresque numquam pepercit. Et praeceptor catechistaque eius fuit.

Anno 1927 filia decessit et Servi Dei uxoris insanitas mentis in deterius mutata est. Benevolentia, patientia, bonitate et cura continenter usus est in eam, cum infirmitas erga ipsum bellatricem eam quoque faceret. Anno 1937 uxorem amisit.

Servus Dei tum ad precationem caritatisque opera se tradidit. Spirituali suo moderatore, religiosis aliquibus necnon Cardinali Petro Segura y Sáenz, Archiepiscopo Hispalensi, qui eius erat amicus, consultis, Congregationem Sanctissimi Redemptoris ingredi statuit. Omnium bonorum copiam beneficentiae causa reliquit. Die 24 mensis Augusti anno 1947 religiosa vota professus et die 25 mansis Iulii anno 1949 Matriti presbyterali Ordine est auctus.

Cunctam per vitam Servus Dei caritatis in Deum et in proximum testimonium praebuit. Interiorem vitam Eucharistia atque Virginis Mariae devotione alebat. Laetus et fortis inter adversa erat, eiusque vivendi modus humilis

et sobrius. Plenam ac fidelem communionem coniugalem vixit. Sanctitatis filiae iter curavit et adiuvit eam ut infirmitatem caritatis oblationem Deo redderet. In evangeliorum consiliorum professione religiosaque vita summum zelum ostendit, necnon opus apostolicum, praesertim aegrotantibus adsidens, navavit.

Die 7 mensis Octobris anno 1957 mortale tempus consummavit. Eius exuviae in ecclesia Matris a Perpetuo Succursu Granatae, prope filiam Servam Dei Mariam a Conceptione, iaciunt.

Magna sanctitatis fama, Servi Dei Causa Beatificationis et Canonizationis instructa est. A die 3 mensis Octobris anno 1993 ad diem 17 mensis Iulii anno 1994 iuxta Curiam ecclesiasticam Granatensem Inquisitio diocesana processit, cuius iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per decretum diei 24 mensis Martii anno 1995 est agnita. Positione confecta, consuetam secundum normam an Servus Dei virtutes christianas in gradu heroico excoluisset disceptatum est. Positivo cum exitu, die 24 mensis Aprilis anno 2018 Peculiaris Consultorum Theologorum Congressus habitus est. Patres Cardinales et Episcopi die 25 mensis Aprilis anno 2020 Servum Dei virtutes theologales, cardinales iisque adnexas heroico modo exercuisse professi sunt.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine et Temperantia iisque adnexis in gradu heroico Servi Dei Francisci Barrecheguren Montagut, Sacerdotis Professi Congregationis Sanctissimi Redemptoris, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 5 mensis Maii a.D. 2020.

Angelus Card. Becciu
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

GRANATENSIS

Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Mariae a Conceptione Barrecheguren Carcía, Christifidelis Laicae (1905-1927)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Sanctos magnos creare voluit (...) sed et parvos creavit. (...) Perfectio in voluntate eius perficienda consistit atque in esse quod is vult» (Sancta Teresia a Iesu Infante).

Serva Dei Maria a Conceptione Barrecheguren García peculiarem devotionem in sanctam Lexoviensem colebat atque sicut ea Carmelum quidem ingredi voluisset, nisi infirmitas obstitisset. Fide, propinquitate exemploque patris eius, Servi Dei Francisci Barrecheguren Montagut, alita, dolores corporis in caritatis oblationem mutavit atque spei, quam Deus solus suppeditare valet, testis fuit.

Serva Dei Granatae die 27 mensis Novembris anno 1905 nata est insequentique Immaculatae Conceptionis sollemnitate est baptizata. Iam ab infantia debilis valetudinis signa ostendit. Viscerum inflammatione arrepta, parentes eam Beatae Virgini Lapurdensi commendaverunt, cui sanationem post adiudicaverunt. Medici eam publicas scholas frequentare dehortabantur itaque in familia erudita est. Pater in catechismum quoque instruit eam atque ad primam Communionem Confirmationemque paravit. Cotidie Rosarium una cum matre sua precabatur ac christianam doctrinam familiis docebat. Peregrinationes aliquas suscepit, quorum redita narrationem assidue scribebat spiritualiaque sua commentabatur. Duos per annos gravibus fidei angustiis laboravit, quas confessarii sui, videlicet patris Ruiz Abad, Congregationis Sanctissimi Redemptoris, auxilio devicit. Duodecim annos nata, severa victus ratione curari coacta est. Mater eius, iam mentis insanitate confecta, in hospitium est recepta.

Serva Dei continenter abdita vixit. Ut voluntas Dei in omnibus fieret cupiebat ac adversa laetitia caritateque in Deum pleno animo obivit. Omni diei tempore coram Deo stabat, necnon Eucharistia orationeque Christum Crucifixum contemplabatur, ut eum fortitudine perseverantiaque continen-

ter imitaretur. Summa humilitate adiuvari valebat, et in cotidianis curis et in spiritualibus. Sinceris ac praesentibus actionibus egenis indigentibusque succurrebat. Dilectio, passio ac precatio cunctae eius vitae regula fuerunt. Haud religiosa facta est, at christianarum virtutum exercitio, corde suo totaliter Dei, zelo in Evangelium doloribusque caritate oblatis ad modum Deo consecratae de facto vixit.

Anno 1926 sepulcrum sanctae Teresiae a Iesu Infante peregrina visitavit. Mense Augusto eiusdem anni tabe incidit ac prope castellum v.d. *Alhambra* meliore aere iuvanda mota est. Illic, duos et viginti tantum annos nata, matutino tempore diei 13 mensis Maii anno 1927 in Domino obdormivit. Corpus eius, primum in Granatensi coemeterio conditum, dein tralatum est et hodie in ecclesia Matris a Perpetuo Succursu, apud patris exuvias, iacet. Usque increbrescens quaedam sanctitatis fama hanc iuvenem circumdavit.

Hac ipsa fama, paucis post Servae Dei obitum annis, eius Causam Beatificationis et Canonizationis inchoari statutum est. Iuxta Curiam ecclesiasticam Granatensem Processus Informativus a die 21 mensis Septembris anno 1938 ad diem 7 mensis Novembris anno 1945 necnon unus Processus Suppletivus annis 1978 et 1979 celebrati sunt. Haec Congregatio de Causis Sanctorum de utriusque validitate iuridica decretum die 24 mensis Aprilis anno 1992 edidit. Positione exarata, consuetas secundum normas disceptatum est an Serva Dei virtutes christianas heroico in gradu exercuisset. Fausto cum exitu, die 24 mensis Aprilis anno 2018 Peculiaris Consultorum Theologorum Congressus habitus est. Patres Cardinales et Episcopi die 25 mensis Aprilis anno 2020 Servam Dei theologales, cardinales iisque adnexas virtutes excoluisse professi sunt.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine et Temperantia iisque adnexis in gradu heroico Servae Dei Mariae a Conceptione Barrecheguren García, Christifidelis Laicae, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 5 mensis Maii a.D. 2020.

Angelus Card. Becciu
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

BRUNDUSINA - OSTUNENSIS

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Matthaei Farina, Christifidelis Laici (1990-2009)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt» (*Mt* 5, 8).

Servus Dei Matthaeus Farina "oculis ad caelum", uti scripsit, vixit. Tali modo cuncta de Deo caritateque eius loqui agnovit, omnes adulescentis experientias aeque iudicavit, se ad aliorum bono ministrandum posuit atque serena fortitudine infirmitatis Crucem toleravit, quae ante tempus ad mortem perduxit eum. Vita eius, sic claris virtutibus exornata, ad perfectionem brevi spatio pervenit.

Servus Dei Abellini die 19 mensis Septembris anno 1990 natus est. Cum familia sua, valde cohaerente ac in christianis virtutibus firmiter sistente, Brundisii semper habitavit. Peculiari sinceritatis affectionisque vinculo cum sorore adstringebatur. Puer docilis mitisque erat. A patribus Capuccinis paroeciae, franciscale spiritum ac singularem sancto Pio a Petrelcina devotionem didicit. Celerius Verbum Dei meditari inchoavit et aliquas definitas orationis occupationes recepit. Missae intererat, frequenter ad confessionem accedebat, Sanctissimi Sacramenti visitam colebat et Rosario precabatur. Amicos suos mala recusare discere atque caritatem Dei experiri cupiebat. Ideo cum aequalibus identidem ac diu loquebatur ac defendebat quae Ecclesia de fidei et christianorum morum argumentis docet. Haud semper auscultabatur atque aliquando ridebatur. Perseverantia eius magnam libertatem demonstrabat.

Quartum et decimum annum agebat, cum ei quaedam cerebralis neoplasia maligna comperta est, ob quam plurimis chirurgicis sectionibus in Italia Germaniaque necnon gravis curationis ordinibus est subiectus. Animi fortitudine atque spe illius, qui in Deum seipsum commendat, infirmitatem sumpsit. In Cordi Immaculato Mariae devotione Beataeque Mariae Virginis de Fatima verbis solacium magnum invenit. Scholarum studia pergere valuit necnon eius adulescentis oblectamenta. Informatica delectabatur ac rerum naturae disciplina, chimica potissimum, tenebatur. Symphoniacorum etiam coetum instituit, inter quos canebat. Summa caritate ac zelo in Evangelium

motus, pecuniam ad Mozambicanas missiones destinabat, cuius causa compendia sua colligebat. Modum vivendi sobrium gerebat, maxime victu atque vestitu. De vocatione sua quaestionem quoque respexit. Anno 2007 virginem quandam novit, quam sibi despondit. Una cum ea de fide loquebatur, rationes futurae coniugalis vitae instituebat atque ardentis castique amoris pulchritudinem perspexit. Virgo, quam ipse de infirmitate sua certiorem fecit, usque ad finem adfuit ei.

Ingravescente morbo visus eius imminutus est et Servus Dei rotali sella uti est coactus. Repetebat saepe: "Omnis dies uti postremus est nobis vivendus, non propter obitum maestis sed potius laetis, quia ad Domini occursum parati sumus". Unctionem infirmorum suscepit atque pro caritate in Deum et animarum bono dolores suos obtulit. Placide in Domino die 24 mensis Aprilis anno 2009 obdormivit. Exsequiis eius multi interfuerunt, iuvenes in primis, quibus Servus Dei virtutum christianaeque sanctitatis exemplum mox propositus est. Aliqui amici eius se congregaverunt ad memoriam Servi Dei fovendam necnon scripta testimoniumque eius proferenda. Sanctitatis fama, multi sepulcrum eius in Brundusino coemeterio visitabant, ita ut anno 2017 corpus eius in cathedralem ecclesiam transferretur.

Hac sanctitatis fama usque increbrescente, et Servi Dei Causam Beatificationis et Canonizationis incipi statutum est. Iuxta Curiam ecclesiasticam Brundusinam-Ostunensem a die 19 mensis Septembris anno 2016 ad diem 24 mensis Aprilis anno 2017 Inquisitio dioecesana celebrata est, cuius iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per decretum diei 22 mensis Septembris anno 2017 est recognita. Positione confecta, consueto modo an Servus Dei virtutes christianas in gradu heroico excoluisset disceptatum est. Die 29 mensis Octobris anno 2019 Peculiaris Consultorum Theologorum Congressus votum positivum protulit. Patres Cardinales et Episcopi die 25 mensis Aprilis anno 2020 Servum Dei theologales, cardinales iisque adnexas virtutes heroico more exercuisse professi sunt.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Forti-*

tudine et Temperantia iisque adnexis in gradu heroico Servi Dei Matthaei Farina, Christifidelis Laici, in casu et ad effectum de quo agitur.

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 5 mensis Maii a.D. 2020.

Angelus Card. Becciu
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

MONTERREYENSIS

Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Gloriae Mariae a Iesu Elizondo García (in saeculo: Spei), Antistitae Generalis Congregationis Catechistarum a Pauperibus (1908-1966)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Omnia in gloriam Dei facite» (*I Cor* 10, 31). Serva Dei Gloria Maria de Jesus Elizondo García (in saeculo: Spes) uti christifedelis laica, uti religiosa Congregationis Missionariarum Catechistarum a Pauperibus, necnon uti eiusdem Antistita Generalis, semper et omnino huic Apostoli mandato oboedivit. Itaque de amplitudine, splendore et virtute Dei testimonium praebuit, cui placet in his quos elegit glorificari.

Serva Dei die 26 mensis Augusti anno 1908 Durangi in Mexico nata est. Eius parentes, christiana fide ardentissimi, liberos suos fortem ac navam fidem docuerunt. Cum Mexicanarum rerum publicarum eversiones evenirent, familia ad urbem *Monterrey* se contulit. Sequentibus annis, cum dira persecutio contra religionem in Mexico exarserat, quae multos quidem martyres Ecclesiae peperit, Femininae Mexicanae Iuventuti Catholicae interfuit. Amorem erga ministerium ostendit, necnon suam ingentem caritatem erga omnes, apostolicam operam praestans apud Status carcerem et apud valetudinarium publicum, praeter suum catechistae officium.

Sedulitas in Evangelium evulgandum necnon assiduum misericordiae operum exercitium, propter eius amorem erga Christum in precatione, in sacramentis sed maxime in Eucharistia inventum, testimonium perhibuerunt eximium. Anno 1941 Nicopoli Mexici, in statu *Tamaulipas*, officinam inchoavit piscium aptis sarcinis muniendorum; huius loci incolis sedes ad Evangelium evulgandum et ad catechesim fovendam fundavit; ecclesiam aedificavit et operam dedit ad humanam ac socialem prosperitatis suorum operariorum progressionem excitandam. Iis omnibus in rebus evangelicum ostendebat spiritum et a precatione et coniunctione cum Deo vim trahebat, numquam, in animis ad Eum adipiscendis, animum remittens. Quadragesimum septimum annum aetatis agens, anno quidem 1954 Congregationem Missionariarum Catechistarum a Pauperibus est ingressa. Modo professa,

ob eius magnum spiritum missionarium electa est ut esset delegata apud Pontificiam Cleri Unionem Missionariam et magistra postulantium. Anno 1961, prorsus ante perpetuam professionem, Antistita Generalis electa est, munere quo gravitate, studio, caritate et humilitate est functa.

Vocationes creverunt et domus multiplicatae sunt; eius opera Congregatio spirituale incrementum habuit. Christi sequens vestigia, integre eum est imitata. *Monterrey* mulierum sodalitium v.d. *Cursillos de Cristianidad* fundavit. Die 22 mensis Octobris 1964 eius Congregatio laudis decretum consecuta est. Sequenti anno iam diffusi tumoris prima signa comperta sunt, hanc ob rem ei aliquae chirurgicae sectiones adhibitae sunt. Quamvis dolores continenter eam cruciarent, Serva Dei donec potuit communitatis vitae interfuit. Dei voluntati serena se commendavit et morbi angustiora vicit precando ac petendo a suis sororibus ut oratione sustineretur. Cum domum relinqueret ut in valetudinarium reciperetur, sorores omnes salutavit dicens: "Estote sanctae, quia hanc ob causam huc venimus. Sic bono Deo gratae erimus". In valetudinario medici ac sacerdotes, qui ei occurrerant, eius virtutis exemplo valde aedificati sunt et eandem sanctam iudicaverunt. Die 8 mensis Decembris anno 1966 religiose obiit.

Sanctitatis fama perdurante, a die 13 mensis Februarii anno 1995 ad diem 27 mensis Octobris eiusdem anni apud Curiam ecclesiasticam Monterreyensem inquisitio dioecesana super vita et virtutibus Servae Dei celebrata est, cuius iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per decretum diei 24 mensis Maii anno 1996 est approbata. Confecta Positione, consuetas secundum normas disceptatum est an Serva Dei heroicum in modum virtutes excoluisset. Fausto cum exitu, die 16 mensis Maii anno 2019 Theologorum Consultorum Peculiaris Congressus habitus est. Patres Cardinales et Episcopi Ordinaria Sessione congregati, cui egomet ipse Angelus Cardinalis Becciu praefui, Servam Dei heroico modo virtutes theologales, cardinales eisque adnexas exercuisse professi sunt.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine iisque adnexis in gradu heroico Servae Dei Glo-*

riae Mariae a Iesu Elizondo García (in saeculo: Spei), Antitistae Generalis Congregationis Missionariarum Catechistarum a Pauperibus, in casu et ad effectum de quo agitur.

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 19 mensis Iunii a.D. 2020.

ANGELUS CARD. BECCIU
Praefectus

L. ✠ S.

✠ MARCELLUS BARTOLUCCI
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

CATACENSIS - SQUILLACENSIS

Beatificationis et Canonizationis Ven. Servae Dei Mariae Antoniae Samà, Christifidelis laicae (1875-1953)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Serva Dei Maria Antonia Samà Fani Sancti Andreae, Catacensi in provincia, orta est die 2 mensis Martii anno 1875. Undecim annos nata, ex quodam stagno bibit et signa ignoti morbi ostendit, a quo recreata est mense Iunio anno 1894. Duobus post annis gravi infirmitate correpta est, ita ut lecto detenta, immobilis, supina iacendi positione ac genibus sublatis, reliquum vitae degere cogeretur. Primum adsedit ei mater, deinde, post mortem illius, Sorores Reparatrices a Sacro Corde. Sorores ipsae Venerabilis Servae Dei virtutis et pietatis exemplo valde sunt aedificatae, atque plurimi per eam solacium invenerunt. Familiariter "monachula sancti Brunonis" nuncupabatur. Die 27 mensis Maii anno 1953 obiit, duodeoctoginta annorum aetate, quorum doloris et paupertatis fere sexaginta. Summus Pontifex Franciscus die 18 mensis Decembris anno 2017 concessit ut haec Congregatio de Causis Sanctorum decretum super Venerabilis Servae Dei heroicis virtutibus ederet.

Beatificationis respectu, Causae Postulatio huius Congregationis iudicio subiecit doloris et functionis symptomatum remissionem, miram aestimatam, quadam in muliere, Fano Sancti Andreae oriunda, gravi amborum genuum arthrosis genere adfecta. Res Ianuae accidit.

Mulier octoginta annorum erat atque duobus annis ante morbus eius compertus est, curatus medicamentis ad dolorem continendum, quae tamen nullius usus fuerunt. Inde statutum est ut mulieri sectio chirurgica ad prothesim collocandam adhiberetur, at ipsa, etsi infirmitate ingravesceret, renuere praeoptavit. Vespere die 12 mensis Decembris anno 2004, acerrimis doloribus patiens, Venerabilis Servae Dei intercessionem invocavit, cuius devotionem multum colebat quamque iuventutis suae tempore ipsam cognoverat. Post orationem, somnum cepit. Mane insequenti, cum e lectulo surgeret, dolores abiisse agnovit et se, nullis fulcimentis adhibitis, ambulare potuisse. Inquisitiones medicae sequentes, necnon recognitio a duobus

medicis ab inspectione peracta, probaverunt, quamquam gravis arthrosis genus persisteret, evanuisse symptomata et mulierem per se ipsam ambulare valere.

De qua re Inquisitio dioecesana a die 5 mensis Decembris anno 2008 ad diem 27 mensis Novembris anno 2009 apud Curiam ecclesiasticam Ianuensem celebrata est, cuius decretum de iuridica validitate haec Congregatio de Causis Sanctorum die 20 mensis Novembris anno 2015 edidit. Medicorum Consilium die 13 mensis Iunii anno 2019 congregatum est atque subitaneum, perfectum ac constantem symptomatum doloris et functionis finem recognovit quoad modum ex scientiae legibus inexplicabilem. Inde Peculiaris Consultorum Theologorum Congressus die 29 mensis Octobris anno 2019 atque Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum Sessio die 5 mensis Maii anno 2020, posito dubio an de miraculo, Venerabili Serva Dei intercedente, divinitus patrato constaret, adfirmative responderunt.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Venerabilis Servae Dei Mariae Antoniae Samà, Christifidelis laicae, videlicet de subitaneo, perfecto ac constanti doloris et functionis symptomatum fine in quadam muliere morbo v.d. "gonartrosi bilaterale con sintomatologia algico-funzionale" adfecta*.

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 10 mensis Iulii a. D. 2020.

Angelus Card. Becciu
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

HERMOSILLENSIS

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Eusebii Francisci Chini (dicti Kino), Sacerdotis professi Societatis Iesu (1645-1711)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Seipsum valde commendans, Pater Kino impigre operatus est ad missiones totam per regionem erigendas, ut bonum Domini nostri Iesu Christi nuntium inter gentes haec loca inhabitantes radices agere valeret» (sanctus Ioannes Paulus II Phoenice, die 14 mensis Septembris anno 1987).

Res gestas et missionem apostolicam Servi Dei Eusebii Francisci Chini (dicti Kino) sic sanctus Ioannes Paulus II complexus est, cuiusdam sui itineris in Civitatibus Foederatis Americae Septentrionalis tempore. Non commune studium et constans feracitas eius probum habitum patefecerunt, quod industriosa caritate pastorali culmen invenit.

Servus Dei in pago v.d. *Segno*, intra Tridentinam Vallem Anauniam, natus est die 10 mensis Augusti anno 1645. Cum primum a praeceptore domestico institutus esset, apud Societatis Iesu collegia Tridentinum et Halense, non longe ab Oeniponto, studuit. Physicam et mathematicam mirabatur, quas postea adeo colere perrexit, ut peritus agnosceretur atque exquireretur.

Sancti Francisci Xaverii intercessione invocata votoque Societatem Iesu ingrediendi concepto, ex gravi morbo evadit. Itaque novitiatum in Bavaria inchoavit, nomen Francisci suo adiunxit annoque 1667 religiosa professus est vota. Tredecim per annos magistri munere functus est. Die 12 mensis Iunii anno 1677 in urbe Dryopoli sacro presbyterali ordine auctus est atque, tertia probatione peracta, ut missionarius proficisceretur postulavit. Superiores eum in Novam Hispaniam, quae hodie Mexicum nuncupatur, miserunt. Californiam Inferiorem exploravit et evangelizavit, indigenarum rusticam pecuariamque rem provehens. Explorator doctus et chartographus, primus regionem, quam omnes amplissimam insulam putabant, paeninsulam autem esse probavit.

Ab anno 1687 Servus Dei missionarius fuit in regione v.d. *Pimería Alta*, quae Civitates tangit Sonorae in Mexico, Arizonae et Novi Mexici in Civitatibus Foederatis Americae Septentrionalis. Quattuor et viginti annos praedicationi et indigenis iuvandis se tradidit. Societatis et divitiarum pro-

ventum praecipuum operis apostolici fructum esse ducebat, ad hominum dignitatem defendendam, ad iustitiam adversus vires et iniurias restaurandam, ad pacem quoque confirmandam. Descriptionem etiam aliquarum missionis aedium, aedium minorum, vicos et rura constituere eaque condere valuit. Longiora itinera, pedibus vel equi dorso, perfecit.

Servus Dei sanctitate vitae in primis Evangelium nuntiabat. Pauper inter pauperes vivebat, itaque Christum Salvatorem iisdem ferebat. Fides eius et spes erant in Christum eiusque ex necessitate semper fidelitatem et fortitudinem trahebat. Regni Dei causam, humilitate servi oboedientiaque militis, diligebat. Voluntate Dei complenda, iuxta Virginis Mariae exemplum, Paradisi amoenitatem perspiciebat. Multiformis apostolatus eius, qui in Sacramentis fontem habebat, precatione et ascesi, sed maxime heroica caritate sustinebatur, qua suas naturae et scientiae dotes usque ad finem fructuosas reddidit.

Sex et sexaginta annos natus, die 15 mensis Martii anno 1711 obiit in civitate v.d. *Magdalena*, quae honoris eius causa dein *Magdalena de Kino* est appellata. Boni sanctique viri fama, qua Servus Dei iam vivens usus est, altior fieri et pervagari post mortem usque perrexit. Ipsa igitur, fere trecentis ab annis, permanet. Arizona eum in suis "Patribus fundatoribus" adnumerat.

Propter hanc sanctitatis et signorum famam, Servi Dei Causam beatificationis et canonizationis instrui est statutum. Apud Curiam ecclesiasticam Hermosillensem inter annum 1971 et annum 2006 Processus Informativus Ordinarius inceptus est et Inquisitio dioecesana celebrata. Iuridica utriusque validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per decretum diei 18 mensis Martii anno 2010 est approbata. Positio exarata est ac die 19 mensis Aprilis anno 2016 Consultorum Historicorum iudicio subiecta. Inde, secundum usitatas normas, an Servus Dei virtutes christianas heroico in gradu exercuisset est disceptatum. Die 4 mensis Aprilis anno 2019, adfirmativo cum exitu, habitus est Peculiaris Consultorum Theologorum Congressus. Patres Cardinales et Episcopi, Ordinaria diei 7 mensis Iulii anno 2020 in Sessione, Servum Dei professi sunt heroico modo excoluisse theologales, cardinales iisque adnexas virtutes.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno

die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine et Temperantia iisque adnexis in gradu heroico Servi Dei Eusebii Francisci Chino (dicti Kino), Sacerdotis professi Societatis Iesu, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 10 mensis Iulii a. D. 2020.

Angelus Card. Becciu
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

FLAVIOBRIGENSIS

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Mariani Iosephi de Ibargüengoitia y Zuloga, Sacerdotis dioecesani Confundatoris Instituti Servarum Iesu (1815-1888)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Quotiescumque ad fontem redire quaerimus et primigeniam viriditatem Evangelii repetimus, pro huius temporis mundo novae viae, modi fecundi, ulteriores enuntiandi formae, signa agentiora, verba renovato sensu plena oriuntur » (Franciscus, Exhortatio apostolica *Evangelii gaudium*, 11).

Servi Dei Mariani Iosephi de Ibargüengoitia y Zuloaga pastorale multiforme ministerium, certis intellectus atque eruditionis muneribus necnon naturali sollertia animatum, ab eius caritate in Evangelium veram vim traxit: ferventer sacerdotium suum vixit et servus factus est populi sibi commissi atque illarum quas exhortabat ac confirmabat animarum.

Servus Dei Flaviobrigae, olim inter dioecesis Calaguritanae et Calceatensis fines, die 8 mensis Septembris anno 1815 natus est. Mater eius, viro ante tempus amisso, familiae concordiam servavit et undecim liberorum religiosum sensum coluit. Vocationis sacerdotalis signa percepit itaque seminarii alumnus factus est. Omnibus seminariis Hispanicis vi clausis, theologiae studia Roma adimplevit et die 18 mensis Aprilis anno 1840 in Lateranensi Archibasilica presbyterus ordinatus est. Suum sacerdotale ministerium primum in paroecia Sancti Antonii Abbatis exercuit, dein ab anno 1873 parochus fuit Sancti Iacobi Flaviobrigae. Cum anno 1861 urbs novae dioecesis Victoriensis pars facta est, Servus Dei munus Missionarii Apostolici a beato Papa Pio IX accepit, quo dioecesis loca cuncta visitavit missiones ad populum praedicans atque spiritualia exercitia proponens. Sacerdotibus se fidum amicum prudentemque consiliarium ostendit atque vocationes sacerdotales inter iuvenes fovit. De vitae christianae quaestionibus plurimos libros edidit, inter quos *Ejercicios Espirituales para Sacerdotes* iuxta modum sancti Ignatii a Loyola, quosque dioecesanis suis Archiepiscopus sanctus Antonius Maria Claret commendavit.

In paroeciali actuositate multa quae animo perspexerat perficit, videlicet primae Communionis solemne puerorum, mensem Mariae, ad Misericordiae

Iesum cultum, Purissimi Cordis Mariae Archiconfraternitam peccatorum conversionis gratia, Sancti Aloisii Gonzaga Congregatio pro iuvenibus, Sancti Vincentii de Paul Conferentias ad succurendum indigentibus et consociationem Matrum Catholicarum a Sancta Monica. Cotidie magna cum devotione Missam celebrabat, plurimas horas in confessionario gerebat, infirmos convenibat et egenioribus familiis erat subsidio. Ab anno 1867 opus restitutionis ecclesiae quoque incepit, quae anno 1949 dioecesis Flaviobrigensis erectae cathedralis facta est. Pro vitae consecratae institutis valde studuit, inter quae Sorores Nostrae Dominae a Caritate a Bono Pastore Flaviobrigae ad meretricum redemptionem et Sorores Carmelitides a Caritate Sanctae Ioachimae de Vedruna in oppidis v.d. *Zumaya* et *Deusto*. Sanctam Mariam a Corde Iesu (in saeculo: Sancho de Guerra) in fundatione Servarum Iesu a Caritate instituti auxilio laboris adiuvit, cuius charisma describuit et primas Constitutiones composuit, tam ut confundator haberetur. Leo XIII anno 1886 institutum ipsum canonice agnovit.

Se ipsum neglegens, cunctas suas corporis et animi vires omnino impendit. Virtutes christianas expertus est et experiri docuit. Flaviobrigae obiit die 31 mensis Ianuarii anno 1888. Plurima bona opera eius illustrata sunt post mortem tantum, magnam ob humilitatem qua omnia perfecit. Illis ipsis atque moribus eius, et in vita et cum mortuus esset, clara sanctitatis fama circumdatus est.

Hac perdurante, iuxta Curiam ecclesiasticam Flaviobrigensem a die 27 mensis Septembris anno 2003 ad diem 10 mensis Iulii anno 2004 Inquisitio dioecesana celebrata est, cuius iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per decretum diei 12 mensis Maii anno 2006 est recognita. Confecta *Positione* dieque 6 mensis Maii anno 2014 Historicorum Consultorum iudicio subiecta, consuetas secundum normas disceptatum est an Servus Dei heroum in modum virtutes excoluisset. Die 17 mensis Maii anno 2019 Theologorum Consultorum Peculiaris Congressus fausto cum exitu habitus est. Patres Cardinali et Episcopi die 7 mensis Iulii anno 2020 Ordinaria in Sessione congregati, cui egomet ipse Angelus Cardinalis Becciu praefui, Servum Dei more heroico virtutes theologales, cardinales eisque adnexas exercuisse professi sunt.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota

Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine iisque adnexis in gradu heroico Servi Dei Mariani Iosephi Ibargüengoitia y Zuloaga, Sacerdotis dioecesani, Confundatoris Instituti Servarum a Caritate, in casu et ad effectum de quo agitur*.

Hoc autem decretum opublici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 10 mensis Iulii a. D. 2020.

Angelus Card. Becciu
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

MATRITENSIS

Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Mariae Félix Torres, Fundatricis Congregationis Societatis Salvatoris (1907-2001)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Verum est me ex tota anima mea unum desiderare, id est ut Deus glorificetur».

Dum Societatis Salvatoris Constitutiones scribebat, Serva Dei Maria Félix Torres sic veram patefecit rationem, quae, a vocatione religiosa percepta usque ad finem, vitam eius perduxit.

Serva Dei in loco v.d. *Albelda*, tunc Ilerdensi in dioecesi, nunc in Barbastrensi-Montisonensi, orta est die 25 mensis Augusti anno 1907. Quattuordecim annos nata, missa est Ilerdam, ut Societatis Mariae scholam frequentaret. Hic sancti Ignatii spiritualitatem didicit et primum exercitia spiritualia fecit. Feria V in Cena Domini anno 1922, caritate Dei et vocatione sua vehementer perceptis, sine recusatione respondit: "Omnino sua sum, scienter et in perpetuum". Parentes religiosae huic vocationi obstiterunt, ut Serva Dei studia pergeret et Caesaraugustanam apud Universitatem chemicarum rerum licentiae gradum adipisceretur. Inter condiscipulos Universitatis ardenti cuidam apostolatui agendo se tradidit atque Actionis Catholicae Feminarum sectionem condidit. Cum Secunda res publica Hispanica eniteretur et efficeret ut institutio catholica prohiberetur, Serva Dei Ilerdae institutum ad puellas erudiendas, *Academia nueva* vulgo appellatum, aperuit, ubi scientiae fideique necessitudo non exstingueretur. Itaque eius consuetudo cum Deo et alias iuvenes attrahere incepit, se ad Iesum Christum omnino consecrare cupientes. Die 15 mensis Augusti anno 1934, una cum socia, vitam pro bono animarum et ad Ecclesiam ministrandam conficere privatim vovit. Civilis Hispaniae belli annis, familiam repetere debuit, quae illo tempore Barcinonae habitabat. Opus institutionis clandestino autem perrexit et de capite immo dimicavit persecutione correptos ob sacerdotes iuvandos, qui, ut Eucharistiam pro christifidelibus aegrotisque custodiret, postulaverant.

Deinde primis cum sociis se denuo congregavit atque anno 1940 Piam Unionem Sororum Societatis Salvatoris, ab Episcopo dioecesano approbatam, animavit, quae postea anno 1952 constituta est religiosa iuris dioecesani

Congregatio, cuius Serva Dei generalis electa est antistita. Cum plurimas iuvenes uti fideles Ecclesiae filias ferventesque Iesu Christi testes instrui vellet, religiosas domos per Hispaniam condendas, necnon Athenei alumnarum hospitia atque collegia erigenda, promovit et rexit. Omnibus institutis Matris Salvatoris nomen imponebat, cuius devotionem singulariter colebat. Anno 1957 prima extera institutio habita est, nempe Venetiolae. Societas Salvatoris, quae, sancti Ignatii spiritum apostolatumque observans, tribus votis religiosis et quartum Summo Pontifici oboedientiam adiungebat, anno 1986 pontificii facta est iuris.

Serva Dei altam interiorem vitam communionis cum Deo foras ostendebat. Nam plurimas horas precatura degebat paenitentiamque solebat agere. Magnam fiduciam in Deum colebat et colere docebat, ex qua spes firma oriebatur. Difficiliores res, quas vita praebuit ei, videlicet tam dolores quam cuiusvis generis angustias, fortitudine et constantia sumebat. Prudentia ac humilitate Congregationem gessit, renovationis annis a Concilio Vaticano II praesertim statutae, atque benevolentia et haud communi caritate illis Sororibus, quae sequenda ipsa abhorruerant, ignoscit. Singularibus discriminis virtutibus exornata, summo zelo voluntatem Dei adeo continenter quaerebat, ut ad maiorem gloriam eius cuncta perficeret.

Anno 1971 Serva Dei generalis antistitae munus peregit. Anima et Congregationis mater ab omnibus aestimata, vicaria et novitiarum magistra perstitit. In Domino pie obdormivit die 12 mensis Ianuarii anno 2001. Eius sanctitatis fama multis locis totius orbis est pervagata.

Hanc propter famam Servae Dei incepta est Causa beatificationis et canonizationis. Apud Curiam ecclesiasticam Matritensem a die 24 mensis Ianuarii anno 2009 ad diem 16 mensis Decembris anno 2011 Inquisitio dioecesana celebrata est, cuius iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per decretum diei 14 mensis Decembris anno 2012 est approbata. Positione confecta, consuetas secundum normas disceptatum est an Serva Dei virtutes christianas heroico in gradu exercuisset. Fausto cum exitu, Peculiaris Consultorum Theologorum Congressus celebratus est die 6 mensis Decembris anno 2018. Patres Cardinales et Episcopi, Ordinaria diei 7 mensis Iulii anno 2020 in Sessione congregati, Servam Dei professi sunt theologales, cardinales iisque adnexas virtutes heroico modo exercuisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine et Temperantia iisque adnexis in gradu heroico Servae Dei Mariae Félix Torres, Fundatricis Congregationis Societatis Salvatoris, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 10 mensis Iulii a. D. 2020.

ANGELUS CARD. BECCIU
Praefectus

L. ✠ S.

✠ MARCELLUS BARTOLUCCI
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

BRIXIENSIS

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Angelini Bonetta, Iuvenis laici Piae Unionis Silentium Operariorum a Cruce (1948-1963)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Nos miserandos aegrotos esse dicunt, at vero quam maxime divitissimi sumus».

Solida spiritualitas et fervor apostolicus Servi Dei Angelini Bonetta se his verbis patefecerunt brevemque eius vitam denotavere, quae quidem gravi morbo praemature ad finem pervenit.

Servus Dei, qui familiariter Angelinus nuncupabatur, Cigoli natus est, Brixiensi in dioecesi, die 18 mensis Septembris anno 1948. Modesta erat ei operariorum familia. Iam a primis vitae annis, cum ludi pueritiae, quem Filiae a Caritate, Canossianae appellatae, gerebant, alumnus esset, vivacem et acutum, animi benevoli ac prudentis spiritus, se puerum ostendit. Prima suscepta Communione, tam ferventiorem cum Iesu Eucharisticum necessitudinem coluit, ut se Communionem cotidie facere parochum peteret. Missam devotione ministrabat et omni mense Confessionem agebat. Decem annos natus, Confirmationem suscepit.

Fides et amicitia Dei usque bonum et laetum eum crescentem adeo reddebant, ut benignitatem et gaudium circum se fundere valeret. Ludis litterarum peractis, Institutum Parvulorum Opificum, seu vulgo *degli Artigianelli*, Brixiae ingressus est, ut institueretur ad opus faciendum. Paucis autem post diebus ex genu dextro valde laboravit et claudicare incepit. Osteosarcoma tibiale ei compertum est. Cuius progrediente vi, opus fuit crurem amputari. Ante sectionem chirurgicam, cum Soror quaedam ex eo quaesivisset cui dolorem suum offerret, respondit: "Omnia pro conversione peccatorum iam Iesu obtuli".

Labores, quos fiducia, humilitate et forti animo sumpsit, celerem et miram Servi Dei maturitatem spiritus praebuerunt. Vocationem ad dolorem pro bono animarum offerendum caritate suscepit. Dum in valetudinario degebat, ceteros aegrotantes adibat, serenitatem eorum et spem excitabat

et pro iisdem precabatur. Inter peregrinationem quandam beatum Aloisium Novarese cognovit ac in valetudinario Servum Dei Faustum Gei, et ipsum patientem. Itaque Piam Unionem Silentium Operariorum a Cruce ingrediendi suam cupiditatem ostendit atque, etsi tam iuvenis esset, est acceptus. Die 21 mensis Septembris anno 1962 Regii, tunc Novariensi in provincia, apud domum "Cor Immaculatum Mariae" appelatam, vota castitatis, paupertatis et oboedientiae emisit.

Eius aegra valetudo in deterius sensim mutavit et curae minus minusque apparuerunt efficaces. A mense Octobri anno 1962 usque ad finem domi coactus est manere. Sui propositi fide retinenda, votis nuncupatis laetitia observandis ac se ipso divinae voluntati, iuxta postulatum Virginis Mariae ad tres parvulos Fatimae pastores, committendo, fuit exemplo.

Sacramentis sustentatus, die 28 mensis Ianuarii anno 1963 in Domino obdormivit. Dum vitam amittebat, oculos in parvo Virginis Lapurdensis simulacro figebat, super arca cubiculari custodito. Exsequiae eius celebratae sunt magno populi concursu.

Servi Dei sanctitatis fama, quae usque increbuit, eius Causa beatificationis et canonizationis ut inciperetur effecit. A die 22 mensis Octobris anno 1998 ad diem 6 mensis Maii anno 2000, apud Curiam ecclesiasticam Brixiensem, Inquisitio dioecesana est habita. Cuius iuridicam validitatem haec Congregatio de Causis Santorum per decretum diei 23 mensis Martii anno 2001 approbavit. Positione exarata, disceptatum est, iuxta usitatas normas, an Servus Dei in gradu heroico virtutes christianas excoluisset. Die 26 mensis Martii anno 2019 Peculiaris Consultorum Theologorum Congressus exitum habuit felicem. Patres Cardinales et Episcopi, die 7 mensis Iulii anno 2020 Ordinaria in Sessione congregati, Servi Dei theologales, cardinales iisque adnexas virtutes professi sunt heroico more exercitas.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine et Temperantia iisque adnexis in gradu heroico Servi Dei Angelini Bonetta, Iuvenis laici Piae Unionis Silentium Operariorum a Cruce, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 10 mensis Iulii a. D. 2020.

Angelus Card. Becciu
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

CORDUBENSIS

Beatificationis seu Declerationis Martyrii Servorum Dei Ioannis Elías Medina, Sacerdotis dioecesani et CXXVI Sociorum Sacerdotum, Religiosorum, Religiosarum, Alumnorum Seminarii, Christifidelium laicorum et laicarum († 1936-1939)

DECRETUM SUPER MARTYRIO

«Dominum Deum vestrum sequimini et ipsum timete et mandata illius custodite et audite vocem eius; ipsi servietis et ipsi adhaerebitis» (*Dt* 13, 5).

Veteris Testamenti adhortatio, quam pronuntiavit Moyses in deserto, veram quasi congruentiam invenit in CXXVII Servorum Dei fidelitate et adhaesione ad Christum, quorum maxima pars martyres facti sunt tribus in dioecesis Cordubensis praefecturis, scilicet regionis v.d. *La Campiña*, regionis v.d *Valle del Guadalquivir* ac regionis v.d. *de la Sierra*. Aestivo autumnalique tempore anno 1939 interfecti sunt, duobus tantum exceptis, qui unus mense Februario anno 1938 et alter mense Iulio anno 1939 obierunt. Omnes passi sunt pericula, iniurias ac iniquam denique damnationem.

Tunc in Hispania enim, civile flagrante bello, omnes qui se Ecclesiae Catholicae sodales profitebantur, consecrati vel christifideles laici, rei publicae militum praecipue saevam in odium fidei persecutionem pertulerunt. Ergo in contemptionum et virium deserto mansuetudo et fiducia, quas hi Servi Dei ostenderunt, ut testimonium fulserunt Domino Iesu praebitum, qui Agnus est, peccatum et mortem profligans, immolatus. In diversis ordinibus vitae versantes, laudem autem unam, sui ipsius oblatione usque ad effusionem sanguinis, Deo adhibuerunt et una voce ei dederunt gloriam.

Presbyteri fuerunt:

1. Ioannes Elías Medina. In vico v.d. *Castro del Río* die 16 mensis Decembris anno 1902 natus, presbyteratus ordine actus die 1 mensis Iulii anno 1926, vicarii paroecialis munere fungebatur. Cum in vincula ductus esset, viribus cunctis socios in carcere reclusos consolabatur. Martyrium subiit die 25 mensis Septembris anno 1936, sicut et alii plurimi Servi Dei, fidem Hispanicis verbis *Viva Cristo Rey* confitens ac suis ignoscens percussoribus.

2. Franciscus Alarcón Rubio. Die 28 mensis Decembris anno 1879 natus, martyrium subiit die 8 mensis Octobris anno 1936. Parochi munere fungebatur.

3. Didacus Albañil Barrena. Die 29 mensis Iunii anno 1903 natus, martyrium subiit die 21 mensis Septembris anno 1936. Administratoris paroecialis munere fungebatur.

4. Franciscus Álvarez Baena. Die 22 mensis Martii anno 1880 natus, martyrium subiit die 4 mensis Octobris anno 1936. Episcopi ad christianam operariorum animationem promovendam cooperatoris munere fungebatur.

5. Emmanuel Arenas Castro. Die 20 mensis Iulii anno 1899 natus, martyrium subiit die 2 mensis Octobris anno 1936. Parochi munere fungebatur.

6. Leovigildus Ávalos González. Die 6 mensis Iulii anno 1876 natus, martyrium subiit die 23 mensis Iulii anno 1936. Vicarii parochi munere fungebatur.

7. Iosephus Ayala Garrido. Die 9 mensis Octobris anno 1883 natus, martyrium subiit die 28 mensis Iulii anno 1936. Parochi munere fungebatur.

8. Didacus Balsameda López. Anno 1876 natus, martyrium subiit die 17 mensis Augusti anno 1936. Vicarii parochi munere fungebatur.

9. Blasius Iesus Barbancho González. Die 29 mensis Decembris anno 1906 natus, martyrium subiit die 29 mensis Augusti anno 1936. Cooperatoris pastoralis munere fungebatur.

10. Franciscus Barbancho González. Anno 1905 natus, martyrium subiit die 20 mensis Augusti anno 1936. Vicarii parochi munere fungebatur.

11. Dorotheus Barrionuevo Peña. Die 29 mensis Iulii anno 1902 natus, martyrium subiit die 21 mensis Septembris anno 1936. Administratoris paroecialis munere fungebatur.

12. Franciscus Bejarano Fernández. Die 1 mensis Iunii anno 1877 natus, martyrium subiit die 26 mensis Februarii anno 1938. Cooperatoris pastoralis munere fungebatur.

13. Antonius Benítez Arias. Die 6 mensis Iulii anno 1907 natus, martyrium subiit die 21 mensis Iulii anno 1936. Vicarii parochi munere fungebatur.

14. Antonius Blanco Muñoz. Die 30 mensis Martii anno 1871 natus, martyrium subiit die 20 mensis Septembris anno 1936. Cappellani carceris munere fungebatur.

15. Michaël Borrego Amo. Die 29 mensis Aprilis anno 1899 natus, martyrium subiit die 10 mensis Augusti anno 1936. Cooperatoris pastoralis munere fungebatur.

16. Paulus Brull Carrasco. Die 15 mensis Augusti anno 1881 natus, martyrium subiit die 29 mensis Iulii anno 1936. Parochi munere fungebatur.

17. Antonius Cabrera Calero. Die 1 mensis Maii anno 1907 natus, martyrium subiit die 27 mensis Augusti anno 1936. Vicarii parochi munere fungebatur.

18. Candidus del Cacho Cruz. Die 3 mensis Octobris anno 1886 natus, martyrium subiit die 21 mensis Septembris anno 1936. Cooperatoris pastoralis munere fungebatur.

19. Iacobus Calero Redondo. Die 27 mensis Iulii anno 1869 natus, martyrium subiit die 19 mensis Augusti anno 1936. Parochi munere fungebatur.

20. Adolfus Bonifatius Camacho Caballero. Die 27 mensis Septembris anno 1881 natus, martyrium subiit die 25 mensis Iulii anno 1936. Vicarii parochi munere fungebatur.

21. Iosephus Camacho Moreno. Die 5 mensis Ianuarii anno 1891 natus, martyrium subiit die 20 mensis Augusti anno 1936. Parochi munere fungebatur.

22. Alfonsus Canales Rojas. Die 12 mensis Maii 1905, martyrium subiit die 23 mensis Iulii anno 1936. Cooperatoris pastoralis munere fungebatur.

23. Ioannes Cano Gómez. Die 28 mensis Februarii anno 1863 natus, martyrium subiit die 19 mensis Augusti anno 1936. Vicarii parochi munere fungebatur.

24. Acisclus Ioannes Carmona López. Die 17 mensis Novembris anno 1871 natus, martyrium subiit die 2 mensis Octobris anno 1936. Parochi munere fungebatur.

25. Ignatius Carretero Sobrino. Die 1 mensis Februarii anno 1879 natus, martyrium subiit die 21 mensis Septembris anno 1936. Cooperatoris pastoralis munere fungebatur.

26. Bartholomaeus Carrillo Fernández. Die 9 mensis Septembris anno 1897 natus, martyrium subiit die 23 mensis Iulii anno 1936. Parochi munere fungebatur.

27. Iosephus Castro Díaz. Die 8 mensis Februarii anno 1888 natus, martyrium subiit die 21 mensis Septembris anno 1936. Parochi munere fungebatur.

28. Ioannes Castro Luque. Die 3 mensis Martii anno 1872 natus, martyrium subiit die 25 mensis Septembris anno 1936. Vicarii parochi munere fungebatur.

29. Raphaël Contreras Leva. Die 29 mensis Aprilis anno 1901 natus, martyrium subiit die 29 mensis Iulii anno 1936. Vicarii parochi munere fungebatur.

30. Iosephus de la Cruz García-Arévalo. Die 5 mensis Ianuarii anno 1873 natus, martyrium subiit die 1 mensis Septembris anno 1936. Cooperatoris pastoralis munere fungebatur.

31. Franciscus Escura Foix. Die 22 mensis Maii anno 1898 natus, martyrium subiit die 6 mensis Septembris anno 1936. Cooperatoris pastoralis munere fungebatur.

32. Antonius Fernández Aparicio. Die 18 mensis Aprilis anno 1878 natus, martyrium subiit die 18 mensis Augusti anno 1936. Cooperatoris pastoralis munere fungebatur.

33. Marianus Fernández-Tenllado Roldán. Die 8 mensis Novembris anno 1895 natus, martyrium subiit die 23 mensis Iulii anno 1936. Parochi munere fungebatur.

34. Arturus Franco Castro. Die 16 mensis Decembris anno 1878 natus, martyrium subiit die 25 mensis Iulii anno 1936. Cooperatoris pastoralis munere fungebatur.

35. Alfonsus Gallardo Moreno. Die 20 mensis Novembris anno 1901 natus, martyrium subiit die 24 mensis Iulii anno 1936. Vicarii parochi munere fungebatur.

36. Franciscus García Pareja. Die 7 mensis Iulii anno 1877 natus, martyrium subiit mense Augusto anno 1936. Vicarii parochi munere fungebatur.

37. Gregorius Gómez Molina. Die 9 mensis Maii anno 1887 natus, martyrium subiit die 10 mensis Augusti anno 1936. Administratoris paroecialis munere fungebatur.

38. Iosephus González Pérez. Die 21 mensis Martii anno 1901 natus, martyrium subiit die 22 mensis Augusti anno 1936. Parochi munere fungebatur.

39. Alfonsus Guadix Fuente-Robles. Die 9 mensis Decembris anno 1872 natus, martyrium subiit mense Augusto anno 1936. Vicarii parochi munere fungebatur.

40. Antonius Gutiérrez Morales. Die 15 mensis Februarii anno 1908 natus, martyrium subiit die 23 mensis Augusti anno 1936. Vicarii parochi munere fungebatur.

41. Andreas Vincentius Helguera Muñoz. Die 27 mensis Octobris anno 1879 natus, martyrium subiit die 22 mensis Augusti anno 1936. Parochi munere fungebatur.

42. Ioannes de la Cruz Herruzo Ruiz. Die 24 mensis Novembris anno 1884 natus, martyrium subiit die 21 mensis Augusti anno 1936. Parochi munere fungebatur.

43. Nicolaus Hidalgo García. Die 7 mensis Decembris anno 1870 natus, martyrium subiit die 21 mensis Augusti anno 1936. Parochi munere fungebatur.

44. Antonius Huertas Vargas. Die 30 mensis Iulii anno 1886 natus, martyrium subiit die 12 mensis Septembris anno 1936. Cooperatoris pastoralis munere fungebatur.

45. Aloisius León Muñoz. Die 18 mensis Maii anno 1888 natus, martyrium subiit die 24 mensis Iulii anno 1936. Cooperatoris pastoralis munere fungebatur.

46. Iosephus López Cáceres. Die 22 mensis Aprilis anno 1904 natus, martyrium subiit die 4 mensis Augusti anno 1936. Cooperatoris pastoralis munere fungebatur.

47. Alfonsus López Morales. Die 23 mensis Ianuarii anno 1871 natus, martyrium subiit die 17 mensis Augusti anno 1936. Parochi munere fungebatur.

48. Ioannes Lucena Rivas. Die 4 mensis Ianuarii anno 1895 natus, martyrium subiit die 27 mensis Iulii anno 1936. Parochi munere fungebatur.

49. Petrus Luque Cano. Die 5 mensis Octobris anno 1873 natus, martyrium subiit die 22 mensis Iulii anno 1936. Cappellani valetudinarii munere fungebatur.

50. Antonius Luque Jurado. Die 24 mensis Iulii anno 1874 natus, martyrium subiit die 14 mensis Augusti anno 1936. Parochi munere fungebatur.

51. Baldomarus Márquez García-Maribello. Die 27 mensis Februarii anno 1869 natus, martyrium subiit die 27 mensis Iulii anno 1936. Cooperatoris pastoralis munere fungebatur.

52. Theodorus Martín Camacho. Die 2 mensis Septembris anno 1895 natus, martyrium subiit die 15 mensis Augusti anno 1936. Parochi munere fungebatur.

53. Raphaël Martínez Navarro. Die 21 mensis Iunii anno 1877 natus, martyrium subiit die 30 mensis Augusti anno 1936. Cathedralis Cordubensis canonici et caerimoniarum magistri munere fungebatur.

54. Laurentius de Medina García. Die 1 mensis Octobris anno 1867 natus, martyrium subiit die 20 mensis Augusti anno 1936. Cappellani munere fungebatur.

55. Antonius Molina Ariza. Die 16 mensis Augusti anno 1904 natus, martyrium subiit die 12 mensis Augusti anno 1936. Parochi munere fungebatur.

56. Richardus Morales García. Die 31 mensis Martii anno 1899 natus, martyrium subiit die 24 mensis Iulii anno 1936. Cooperatoris pastoralis munere fungebatur.

57. Iosephus Morales Ruiz. Die 8 mensis Maii anno 1886 natus, martyrium subiit die 22 mensis Iulii anno 1936. Vicarii parochi munere fungebatur.

58. Iustus Moreno Luque. Die 8 mensis Novembris anno 1883 natus, martyrium subiit die 25 mensis Iulii anno 1936. Varii parochi munere fungebatur.

59. Tharsicius Moreno Redondo. Die 15 mensis Augusti anno 1909 natus, martyrium subiit die 25 mensis Iulii anno 1936. Vicarii parochi munere fungebatur.

60. Ioannes Muñoz Mediavilla. Die 2 mensis Decembris anno 1868 natus, martyrium subiit die 29 mensis Novembris anno 1936. Vicarii parochi munere fungebatur.

61. Ioannes Navas Rodríguez-Carretero. Die 23 mensis Februarii anno 1892 natus, martyrium subiit die 16 mensis Augusti anno 1936. Parochi munere fungebatur.

62. Ioannes Iosephus Orellana del Moral. Die 4 mensis Septembris anno 1870 natus, martyrium subiit die 16 mensis Augusti anno 1936. Vicarii parochi munere fungebatur.

63. Laurentius Pérez Porras. Die 5 mensis Septembris anno 1871 natus, martyrium subiit die 27 mensis Iulii anno 1936. Cooperatoris pastoralis munere fungebatur.

64. Antonius Pérez Vacas. Die 8 mensis Aprilis anno 1865 natus, martyrium subiit die 29 mensis Augusti anno 1936. Cooperatoris pastoralis munere fungebatur.

65. Iosephus Pineda Cejas. Die 13 mensis Februarii anno 1900 natus, martyrium subiit die 27 mensis Iulii anno 1936. Cooperatoris pastoralis munere fungebatur.

66. Ioannes Porras Redondo. Die 12 mensis Iunii anno 1894 natus, martyrium subiit die 21 mensis Septembris anno 1936. Parochi munere fungebatur.

67. Aloisius Ramírez Ramírez. Die 11 mensis Octobris anno 1887 natus, martyrium subiit die 13 mensis Octobris anno 1936. Cooperatoris pastoralis munere fungebatur.

68. Raphaël Reyes Moreno. Die 24 mensis Aprilis anno 1888 natus, martyrium subiit die 25 mensis Iulii anno 1936. Parochi munere fungebatur.

69. Iulianus Rivas Rojano. Die 16 mensis Februarii anno 1878 natus, martyrium subiit die 13 mensis Augusti anno 1936. Parochi munere fungebatur.

70. Laurentius Athanasius Rodríguez Cortés. Die 28 mensis Septembris anno 1903 natus, martyrium subiit die 25 mensis Iulii anno 1936. Vicarii parochi munere fungebatur.

71. Emmanuel Ruiz Caballero. Die 2 mensis Martii anno 1870 natus, martyrium subiit die 2 mensis Octobris anno 1936. Cooperatoris pastoralis munere fungebatur.

72. Franciscus Salamanca Bujalance. Die 8 mensis Decembris anno 1875 natus, martyrium subiit die 12 mensis Iulii anno 1939. Parochi munere fungebatur.

73. Iesus de Sande Tena. Die 10 mensis Augusti anno 1899 natus, martyrium subiit die 27 mensis Septembris anno 1936. Parochi munere fungebatur.

74. Andreas Serrano Muñoz. Die 3 mensis Februarii anno 1884 natus, martyrium subiit die 13 mensis Augusti anno 1936. Cooperatoris pastoralis munere fungebatur.

75. Petrus Simancas Valderramas. Die 28 mensis Aprilis anno 1872 natus, martyrium subiit die 29 mensis Novembris anno 1936. Cooperatoris pastoralis munere fungebatur.

76. Bernardus Suárez Jurado. Die 31 mensis Martii anno 1910 natus, martyrium subiit die 15 mensis Septembris anno 1936. Vicarii parochi munere fungebatur.

77. Antonius Frutos Tena Amaya. Die 25 mensis Iunii anno 1905 natus, martyrium subiit die 3 mensis Septembris anno 1936. Cooperatoris pastoralis munere fungebatur.

78. Angelus de Tena Martín. Die 9 mensis Septembris anno 1883 natus, martyrium subiit die 25 mensis Augusti anno 1936. Vicarii parochi munere fungebatur.

79. Ambrosius Torrico López. Die 3 mensis Aprilis anno 1881 natus, martyrium subiit die 22 mensis Septembris anno 1936. Cooperatoris pastoralis munere fungebatur.

Seminarii alumni quinque fuerunt:

80. Antonius Artero Moreno. Die 12 mensis Martii anno 1912 natus, martyrium subiit die 15 mensis Septembris anno 1936.

81. Raphaël Cubero Martín. Die 23 mensis Septembris anno 1913 natus, martyrium subiit die 20 mensis Augusti anno 1936.

82. Antonius Montilla Cañete. Die 6 mensis Augusti anno 1913 natus, martyrium subiit die 24 mensis Iulii anno 1936.

83. Emmanuel Montilla Cañete. Die 16 mensis Ianuarii anno 1919 natus, martyrium subiit die 24 mensis Iulii anno 1936.

84. Iosephus Ruiz Montero. Die 25 mensis Martii anno 1914 natus, martyrium subiit die 23 mensis Iulii anno 1936.

Religiosa et tres Ordinis Fratrum Minorum religiosi fuerunt:

85. Maria Iosepha a Consilio González Rodríguez (in saeculo: Iosepha Raphaëla Anna), Congregationis Filiarum a Patrocinio Santae Mariae. Die 26 mensis Iulii anno 1848 nata, martyrium subiit die 8 mensis Augusti anno 1936.

86. Dominicus Montoya Elorza presbyter professus. Die 4 mensis Augusti anno 1885 natus, martyrium subiit die 31 mensis Iulii anno 1936.

87. Bonaventura Rodríguez Bollo (in saeculo: Lucas), presbyter professus. Die 18 mensis Octobris anno 1895 natus, martyrium subiit die 31 mensis Iulii anno 1936.

88. Iosephus Maria Roig Llorca (in saeculo: Dominicus), religiosus professus. Die 5 mensis Septembris anno 1871 natus, martyrium subiit die 24 mensis Iulii anno 1936.

Christifideles laici et laicae fuerunt:

89. Michaël Arenas Castro. Die 16 mensis Aprilis anno 1905 natus, martyrium subiit die 2 mensis Octobris anno 1936.

90. Iosepha Bonilla Benavides. Anno 1902 nata, martyrium subiit die 27 mensis Augusti anno 1936.

91. Maria Aloisia Bonilla Benavides. Anno 1897 nata, martyrium subiit die 27 mensis Augusti anno 1936.

92. Saturninus Felicianus Cabrera Calero. Die 11 mensis Februarii anno 1894 natus, martyrium subiit die 20 mensis Septembris anno 1936.

93. Maria a Monte Carmelo Alexandra Cabrera Llergo. Die 21 mensis Septembris anno 1886 nata, martyrium subiit die 20 mensis Septembris anno 1936.

94. Angelus Cantador González. Anno 1886 natus, martyrium subiit die 26 mensis Iulii anno 1936.

95. Bartholomaeus Cantador González. Die 10 mensis Iunii anno 1892 natus, martyrium subiit die 15 mensis Augusti anno 1936.

96. Antonia Durán Palacios. Anno 1910 nata, martyrium subiit die 27 mensis Augusti anno 1936.

97. Iulia Durán Palacios. Anno 1905 nata, martyrium subiit die 27 mensis Augusti anno 1936.

98. Villelmus Fernández Aguilera. Anno 1874 natus, martyrium subiit die 29 mensis Iulii anno 1936.

99. Iosephus Fernández de Henestrosa Boza. Die 24 mensis Septembris anno 1898 natus, martyrium subiit die 22 mensis Septembris anno 1936.

100. Isidora Fernández Palomero. Die 15 mensis Maii anno 1893 nata, martyrium subiit anno 1936.

101. Isidorus Fernández Rubio. Die 4 mensis Aprilis anno 1887 natus, martyrium subiit anno 1936.

102. Franciscus Fernández y Sánchez Toril. Die 4 mensis Octobris anno 1854 natus, martyrium subiit die 29 mensis Novembris anno 1936.

103. Antonius Gaitán Perabad. Die 27 mensis Augusti anno 1920 natus, martyrium subiit 21 mensis Augusti anno 1936.

104. Ioannes Gálvez Lozano. Die 1 mensis Martii anno 1900 natus, martyrium subiit die 25 mensis Iulii anno 1936.

105. Franciscus García León. Die 20 mensis Decembris anno 1920 natus, martyrium subiit 22 mensis Iulii anno 1936.

106. Nemesius García-Arévalo Hijosa. Die 1 mensis Februarii anno 1886 natus, martyrium subiit die 27 mensis Augusti anno 1936.

107. Aemilius García Pareja. Anno 1881 natus, martyrium subiit mense Augusto anno 1936.

108. Franciscus de Sales Gómez Gil. Die 28 mensis Ianuarii anno 1883 natus, martyrium subiit die 4 mensis Septembris anno 1936.

109. Claudius Petrus Gómez Gil. Die 30 mensis Octobris anno 1894 natus, martyrium subiit die 4 mensis Septembris anno 1936.

110. Franciscus Herruzo Ibáñez. Die 19 mensis Augusti anno 1894 natus, martyrium subiit die 21 mensis Augusti anno 1936.

111. Franciscus Izquierdo Pérez. Anno 1918 natus, martyrium subiit die 4 mensis Augusti anno 1936.

112. Iosephus León Montero. Die 5 mensis Augusti anno 1896 natus, martyrium subiit die 2 mensis Octobris anno 1936.

113. Blanca de Lucía y Ortiz. Die 21 mensis Novembris anno 1875 nata, martyrium subiit die 20 mensis Augusti anno 1936.

114. Gregorius Ernestus Mohedano Cabanillas. Die 9 mensis Maii anno 1898 natus, martyrium subiit die 13 mensis Octobris anno 1936.

115. Hadriana Morales Solis. Die 5 mensis Februarii anno 1880 nata, martyrium subiit die 27 mensis Iulii anno 1936.

116. Antonius Moreno Sevilla. Die 30 mensis Decembris anno 1889 natus, martyrium subiit die 23 mensis Augusti anno 1936.

117. Antonia Palacios Bonilla. Anno 1877 nata, martyrium subiit die 27 mensis Augusti anno 1936.

118. Martinus Pozo Díaz. Die 31 mensis Maii anno 1870 natus, martyrium subiit die 9 mensis Septembris anno 1936.

119. Andreas Rueda Rojas. Die 8 mensis Iulii anno 1895 natus, martyrium subiit die 10 mensis Augusti anno 1936.

120. Franciscus de Paula Ortega Montilla. Die 29 mensis Augusti anno 1868 natus, martyrium subiit die 23 mensis Iulii anno 1936.

121. Maria Antonia Vergara Melgar. Die 9 mensis Maii anno 1867 nata, martyrium subiit die 23 mensis Iulii anno 1936.

122. Brigida Toledano Osa. Anno 1859 nata, martyrium subiit die 27 mensis Augusti anno 1936.

123. Antonius Toral Cascales. Inter annum 1913 et annum 1914 natus, martyrium subiit die 14 mensis Octobris anno 1936.

124. Iosephus Toral Cascales. Inter annum 1911 et annum 1912 natus, martyrium subiit die 14 mensis Octobris anno 1936.

125. Balthasar Torrero Béjar. Anno 1865 natus, martyrium subiit die 16 mensis Augusti anno 1936.

126. Iosephus Vargas Nevado. Anno 1902 natus, martyrium subiit die 31 mensis Augusti anno 1936.

127. Antonius Zurita Mestanza. Anno 1878 natus, martyrium subiit die 18 mensis Augusti anno 1936.

Omnium eorum vita haud communibus christianis virtutibus ornabatur, necnon bonis operibus, inter quae studium ad pacem provehendam, interioris libertas ad veritatem colendam, fiducia in Deum, pietas et apostolica actuositas, zelum ad humanam defendendam dignitatem. Sciebant se propter caritatem in Christum carcerem et mortem obire et multi custodiae tempus vixerunt orantes ac spiritum vero praecolentes. Et quieto animo, precantes et vexatoribus ignoscentes, damnationem susceperunt.

Decenniis progredientibus, eorum martyrii fama tam late inter populum Dei propagata est, ut dioecesis Cordubensis Servorum Dei Causam beatificationis seu declarationis martyrii coeperet. Die 26 mensis Ianuarii anno 2010, apud eandem Curiam ecclesiasticam, Inquisitioni dioecesanae datum est initium, quae postea die 15 mensis Septembris anno 2012 est peracta. Haec Congregatio de Causis Sanctorum, per decretum diei 8 mensis Novembris anno 2013, eius iuridicam agnovit validitatem. Positione confecta, die 26 mensis Novembris anno 2019 subiecta est Consultorum Historicorum

iudicio. Inde disceptatum est, consuetas secundum normas, an Servorum Dei verum fuisset martyrium. Die 15 mensis Septembris anno 2020 Peculiaris Consultorum Theologorum Congressus habitus est, qui adfirmativum protulit votum. Patres Cardinales et Episcopi, diei 17 mensis Novembris anno 2020 Ordinaria in Sessione, professi sunt Servos Dei in odium fidei esse interfectos.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, per subscriptum nomen hodierno die declaravit: *Constare de martyrio eiusque causa Servorum Dei Ioannis Elías Medina, Sacerdotis dioecesani, et CXXVI Sociorum, Sacerdotum, Religiosorum, Religiosarum, Alumnorum Seminarii, Christifidelium laicorum et laicarum, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 23 mensis Novembris a. D. 2020.

✠ Marcellus Semeraro
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

KIVOTINAE – PASSITANAE ET SINUS TONITRALIS

de finium mutatione

DECRETUM

Quo aptius christifidelium pastorali curae consuli possint et Episcopi munus efficaciter explere valeant, Exc.mi PP. DD. Murray Chatlain, Archiepiscopus Kivotinus-Passitanus, et Fridericus J. Colli, Episcopus Sinus Tonitralis, ab Apostolica Sede enixe expostulaverunt, ut circumscriptionum ecclesiasticarum sibi concreditarum fines aliquantulum immutarentur.

Congregatio pro Episcopis, praehabito favorabili voto Nuntiaturae Apostolicae in Canada, existimans huiusmodi immutationem christifidelium bono profuturam, vigore specialium facultatum sibi a Summo Pontifice Francisco, Divina Providentia PP., tributarum, oblatis precibus annuendum censuit. Quapropter, praesenti Decreto, perinde valituro ac si Apostolicae sub plumbo Litterae date forent, ab archidioecesi Kivotina-Passitana integrum territorium paroeciae vulgo nuncupatae «Saint Bernadette» in Sandy Lake, Ontario, distrahatur atque dioecesi Sinus Tonitralis adiungatur.

Mandat insuper, ut documenta et acta praefati territorii bona temporalia respicientia a Curia Kivotina-Passitana ad Curiam Sinus Tonitralis tradantur.

Ad haec perficienda Congregatio pro Episcopis deputat Exc.mum P.D. Ivanum Jurkovič, Archiepiscopum titulo Corbaviensem, et in Canada Apostolici Nuntii, necessarias et opportunas eidem tribuens facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad eandem Congregationem pro Episcopis authenticum exemplar actus peractae exsecutionis remittendi.

Contrariis quibuslibct minime obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus Congregationis pro Episcopis, die 15 mensis Iulii anno 2021.

Marcus Card. Ouellet
Praefectus

Udo Breitbach
Subsecretis

Prot. N° 491/2021

PROVISIO ECCLESIARUM

Latis decretis a Congregatione pro Episcopis, Sanctissimus Dominus Franciscus Pp., per Apostolicas sub plumbo Litteras, iis quae sequuntur Ecclesiis sacros praefecit Praesules:

die 3 Iulii 2021. — Titulari Episcopali Ecclesiae Tipasensi in Numidia R.D. Andream Aloisium García Jasso, in archidioecesi Mexicana Vicarium Iudicialem, quem constituit Auxiliarem in eadem archidioecesi.

— Titulari Episcopali Ecclesiae Sorrensi R.D. Carolum Villano, e clero dioecesis Aversanae, ibique hactenus Parochum et Directorem Officii Dioecesani pro Communicationibus Socialibus.

— Ecclesiae Uxellensi - Terralbensi, unitae in persona Episcopi Metropolitanae Ecclesiae Arborensi, Exc.mum P.D. Robertum Carboni, O.F.M.Conv., Archiepiscopum Metropolitam Arborensem.

die 6 Iulii. — Titulari Episcopali Ecclesiae Plestiensi R.D. Thomam Neylon, e clero archidioecesis Liverpolitanae, ibique Vicarium Generalem, quem deputavit Auxiliarem eiusdem archidioecesis.

die 9 Iulii. — Episcopali Ecclesiae Rivi Nigri Vallensis Superioris Exc.mum P.D. Alexandrum Paulum Benna, hactenus Episcopum titularem Vardimissensem et Auxiliarem dioecesis Rivadaviae.

die 13 Iulii. — Episcopali Ecclesiae Covingtonensi R.D. Ioannem Curtium Iffert e clero dioecesis Bellevillensis, ibidemque hactenus Vicarium Generalem et Moderatorem Curiae atque Curionem paroeciae Sancto Stephano dicatae in oppido v.d. «Caseyville».

die 15 Iulii. — Episcopali Ecclesiae Truxillensi in Venetiola Exc.mum P.D. Iosephum Trinitatem Fernández Angulo, hactenus Episcopum titularem Geruntinum et Auxiliarem archidioecesis Caracensis.

die 16 Iulii. — Metropolitanae Ecclesiae Bialostocensi Exc.mum P.D. Iosephum Guzdek, hactenus Episcopum Ordinarium Militarem Poloniae.

die 16 Iulii 2021. — Episcopali Ecclesiae Terulensi et Albarracinensi R.D. Iosephum Antonium Satué Huerto, e clero dioecesis Oscensis, hactenus Officialem Congregationis pro Clericis.

— Episcopali Ecclesiae Sololensi-Chimaltenangensi Exc.mum P.D. Dominicum Buezo Leiva, hactenus Episcopum titularem Dardanium et Vicarium Apostolicum Izabalensem.

— Episcopali Ecclesiae Sanctae Rosae de Lima Exc.mum P.D. Iosephum Caietanum Parra Novo, O.P., hactenus Episcopum titularem Tubiensem et Auxiliarem archidioecesis Sancti Iacobi in Guatimala.

die 17 Iulii. — Episcopali Ecclesiae Sagiensi Exc.mum P.D. Brunonem Feillet, hactenus Episcopum titularem Gaudiabensem et Auxiliarem archidioecesis Remensis.

die 20 Iulii. — Episcopali Ecclesiae Renensi Exc.mum P.D. Danielem Mueggenborg, hactenus Episcopum titularem Tulliensem et Auxiliarem archidioecesis Seattlensis.

die 23 Iulii. — Episcopali Ecclesiae Marsorum R.D. Ioannem Massaro, e clero dioecesis Andriensis, ibique hactenus Vicarium Generalem.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Francesco ha nominato o confermato:

13 aprile 2021 La Ch.ma Prof.ssa Mpilenhe Pearl Sithole, Docente presso l'*University of the Free State Qwaqwa Campus* a Phuthaditjhaba (Sud Africa), *Membro Ordinario della Pontificia Accademia delle Scienze Sociali.*

20 » » La Ch.ma Prof.ssa Ewine Fleur van Dishoeck, Docente di Astrofisica molecolare presso l'Osservatorio di Leiden (Paesi Bassi), *Membro Ordinario della Pontificia Accademia delle Scienze.*

» » » La Ch.ma Prof.ssa Donna Theo Strickland, Premio Nobel per la Fisica nel 2018, Docente di Fisica ottica presso il *Department of Physics and Astronomy dell'University of Waterloo* (Canada), *Membro Ordinario della Pontificia Accademia delle Scienze.*

» » » La Ch.ma Prof.ssa Susan Solomon, Docente di Chimica dell'atmosfera presso la *School of Science - Department of Earth, Atmospheric and Planetary Sciences* del *Massachusetts Institute of Technology* di Cambridge (Stati Uniti d'America), *Membro Ordinario della Pontificia Accademia delle Scienze.*

» » » Il Ch.mo Prof. Chien-Jen Chen, Docente di Epidemiologia presso l'*Academia Sinica* a Taipei (Taiwan), *Membro Ordinario della Pontificia Accademia delle Scienze.*

1 giugno » Il Rev.do P. Henry Omonisaye, C.M.F., Consultore Generale della Congregazione dei Missionari Figli del Cuore Immacolato di Maria; gli Ill.mi Prof.ri Anthony Paul McClaran, Rettore della *St. Mary's University* a Londra (Regno Unito), e Antonio Felice Uricchio, Presidente del Consiglio Direttivo dell'*Agenzia Nazionale di Valutazione del Sistema Universitario e della Ricerca* (ANVUR), *Membri del Consiglio Direttivo dell'Agenzia della Santa Sede per la Valutazione e la Promozione della qualità*

delle Università e Facoltà Ecclesiastiche (AVEPRO) «ad quinquennium».

Il Rev.do Mons. Guy-Réal Thivierge; gli Ill.mi Prof.ri John H. Garvey e Achim Hopbach, *Membri dello stesso Consiglio Direttivo «ad aliud quinquennium».*

Il Rev.mo P. Andrzej Stefan Wodka, C.SS.R., Presidente dell'AVEPRO; l'Ill.mo Dott. Riccardo Cinquegrani, Direttore dell'AVEPRO; il Reverendo P. Friedrich Bechina, F.S.O., Sotto-Segretario della Congregazione per l'Educazione Cattolica, *Membri di diritto dello stesso Consiglio Direttivo «ad quinquennium durante munere».*

13 giugno 2021 L'Ill.mo Prof. Joachim von Braun, *Presidente dalla Pontificia Accademia delle Scienze «ad quadriennium».*

22 » » Il Rev.do Mons. Francesco Braschi, Presidente della Fondazione e dell'Associazione «Russia cristiana»; i Rev.di Sacerdoti Marcel Mojzeš, Docente di Teologia Liturgica e Spiritualità dell'Oriente Cristiano presso la Facoltà Greco-Cattolica di Teologia dell'Università di Prešov (Slovacchia), e Luis Germán Ramón Okulik, Vicario Giudiziale della Diocesi di Trieste (Italia); il Rev.do P. Lorenzo Lorusso, O.P., Docente presso l'Istituto di Teologia Ecumenica San Nicola di Bari (Italia); gli Ill.mi Prof.ri: Nina Glibetic, Docente di Studi Liturgici presso il Dipartimento di Teologia dell'*University of Notre Dame* (Stati Uniti d'America); Maria Giovanna Muzj, già Docente presso la Pontificia Università Gregoriana a Roma (Italia); Gabriel Radle, Docente di Studi Liturgici presso il Dipartimento di Teologia dell'*University of Notre Dame* (Stati Uniti d'America); Elena Velkova Velkovska, Docente di Letteratura Cristiana Antica presso l'Università degli Studi di Siena (Italia), *Consultori della Congregazione per le Chiese Orientali «ad quinquennium».*

8 luglio » L'Em.mo Sig. Card. Jean-Claude Hollerich, S.I., Arcivescovo di Luxembourg, *Relatore Generale della XVI Assemblea Generale Ordinaria del Sinodo dei Vescovi.*

20 » » Il Rev.do Sac. Hubertus R. Drobner e gli Ill.mi Prof.ri Michel-Yves Perrin, Danilo Mazzoleni, Matteo Braconi e Paola De Santis, *Membri della Pontificia Commissione di Archeologia Sacra «ad aliud quinquennium».*

» » » L'Ecc.mo Mons. Jorge Ignacio García Cuerva, Vescovo di Río Gallegos (Argentina), *Membro della Congregazione per i Vescovi «ad quinquennium».*

26 luglio 2021 L'Ill.ma Prof.ssa Emilce Cuda, Docente di Teologia presso la Pontificia Universidad Católica Argentina e la St. Thomas University (Stati Uniti d'America), *Capo Ufficio nella Pontificia Commissione per l'America Latina.*

» » » L'Ill.mo Prof. Avv. Rodrigo Guerra López, Membro delle Pontificie Accademie per la Vita e delle Scienze Sociali, *Segretario della Pontificia Commissione per l'America Latina « ad quinquennium ».*

NECROLOGIO

3	luglio	2021	Mons. Abelardo Alvarado Alcántara, Vescovo tit. di Tisdro, già Ausiliare di México (*Messico*).
»	»	»	Mons. Richard Domba Mady, Vescovo di Doruma-Dungu (*Rep. Dem. del Congo*).
»	»	»	Mons. Roberto Rodríguez, Vescovo em. di La Rioja (*Argentina*).
9	»	»	Mons. Matteo Cao Xiangde, Vescovo *senza giurisdizione* di Hanzhou, Zhejiang (*Cina Continentale*).
11	»	»	Sua Em.za il Sig. Card. Laurent Monsengwo Pasinya del Titolo di S. Maria «Regina Pacis» in Ostia mare, Arcivescovo em. di Kinshasa (*Rep. Dem. del Congo*).
18	»	»	Mons. Antonio José López Castillo, Arcivescovo em. di Barquisimeto (*Venezuela*).
19	»	»	Mons. José Siro González Bacallao, Vescovo em. di Pinar del Río (*Cuba*).
21	»	»	Mons. Alberto Giraldo Jaramillo, P.S.S., Arcivescovo em. di Medellín (*Colombia*).
22	»	»	Mons. John Hsane Hgyi, Vescovo di Pathein (*Myanmar*).
»	»	»	Mons. Armando Larios Jiménez, Vescovo em. di Riohacha (*Colombia*).
23	»	»	Mons. Hubert Bucher, Vescovo em. di Bethlehem (*Sud Africa*).
»	»	»	Mons. Michel Guyard, Vescovo em. di Le Havre (*Francia*).
28	»	»	Mons. Franco Croci, Vescovo tit. di Potenza Picena, già Segretario della Prefettura degli Affari Economici della Santa Sede.
29	»	»	Sua Em.za il Sig. Card. Albert Vanhoye, S.I., del Titolo di S. Maria della Mercede e Sant'Adriano a Villa Albani.
»	»	»	Mons. Raymond Ken'ichi Tanaka, Vescovo em. di Kyōto (*Giappone*).
1	agosto	»	Mons. Guy Herbulot, Vescovo em. di Evry-Corbeil-Essonnes (*Francia*).
2	»	»	Mons. Emilio Pablo Bianchi di Cárcano, Vescovo em. di Azul (*Argentina*).